

1. a n. 4. vsq; ad 30. inclusiuè, & subsect. 2. per totam resoluendo argumenta. verum vnum est, quod ego non nego dari formã substantialem ad Conciliorum, & Sacrorum Canonum sensum, videlicet partem illam perfectiuam, quæ vnum per se substantiale, & essentiale cum parte perfectibili facit, quomodo præcipue est anima rationalis cum corpore; sed solum de forma aristotelica, quæ sit substantia per se existens, & in subiecto existat. pro qua re melius intelligenda.

1 Notandum est, quod communiter forma multipliciter accipitur, primo pro illa, quæ est a materia distans, vt sunt Angeli; alia quæ in materia est immerfa, vt v. g. forma ignis; primã vocant per se existentem, ac subsistentem, secundam vocant formam informantem, siuè inexistentem, videlicet stantem in alio tamquam in subiecto, quæ quidem forma inexistentis duplex est iuxta eorum dictum, alia videlicet naturalis, seu substantialis, alia artificialis; prima ab agente naturali introducit in subiectum aptum, secunda ab artificiali in materia artificiali dispositam. primam dicunt esse substantiam, & inhære in materia primam, secundam esse accidens, quæ inhæreat in composito; quod a me quæritur hîc est, non an detur forma immaterialis, neque de forma artificiali, sed de illa forma, quæ ab Aristotele, & sequacibus illius ponitur, vt sit substantia incompleta à materia eius prima sustentata, vt à primo subiecto.

2 Notandum est secundo, quod à quamplurimis aristotelicis forma eorum tali nomine formæ vocetur, quia illa omnem materiæ Aristotelis ruditatem tollit, illamque speciosam reddit. a Pithagora fuit vocata, vnum, quia videlicet ad vnã speciem, entitatis materiam primam trahit. ab alijs fuit nomine characteris insignita, eo quia, dicebant isti, sicut characteres causæ sunt vt conceptus exprimentur, ita forma est causa, qua cognoscitur materia; tandem vocauerunt illam, pulcrum, non solum quia pulcritudinem materiæ donet, sed quia a formis Vniuersi totum pulcritudinem accipit, vtpotè à varietate formarum. aliqui alijs dixerunt illam esse participationem diuinæ naturæ, eo quia est actus, sicut Deus est actus purus, quod quælibet creatura sit participatio diuini esse, cum veritate stat, & quod actus creatus sit actus purus falsum est, ratio creati, cum dicat dependentiam, & potentialitatem includat, per cõsequens multas imperfectiones, & puritatem actus excludit, ratio actus puri est Dei proprium tantum, quia actus purus omnem perfectionem includit.